



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 81. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ:  
Prophetarum. v. 56.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

quotidie docuerit ipsos omnem virtutem & sapientiam, concionando, Moysen & Prophetas explicando in scholis, synagogis, templo & foro, in pueritia, in virili ætate. circumeundo pagos & castella, mari, terra, & non tenuissent eum, cum potuissent, & ipse lubentissime semper teneri voluisset, sed alio modo, nempe charitate, fide, imo manducatione corporis & sanguinis sui ad salutem animarum & corporum ipsorum in vitam æternam.

**O** Deus quotidie etiam docuisti me à juventute mea, & nunc doces verbo & exemplo intus per sanctas inspirationes, foris verbo & exemplis sanctorum, qui undique clamant ad me: *revertere, revertere*, desine ab iniquis propositis tuis, serua mandata, dilige Deum, dilige proximum. sed pro auscultare nolui, cum fatuis virginibus dormitavi: Nunc igitur Rex gloriæ, propitius esto mihi peccatori & per insitam bonitatem tuam ignosce mihi, quod unquam à te ceteritudine sanctorum mandatorum tuorum averti cor meum, sequens pravam voluntatem meam, & abiciens ac deferens sanctam voluntatem tuam me ad virtutum studia invitantem, & quomodo ô Deus meus tam cæcus sum corde ut me vel ad momentū avertam à te summo bono, unde mihi salus omnis & bona cuncta proveniunt? & contra ad terrena, caduca, & labentia me convertam, ex quibus non nisi damna perditio & omnis miseria ad me dimanant. Non amplius, mi Jesu, non amplius fiet. Tua gratia adjutus, convertam me ad te; tu convertere ad me; clama ne cesses, & ego audiam voces sanctorum verborum tuorum.

*§. 81. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum, v. 56.*

Colligit hic quasi summam eorum quæ dixerat Evangelista, vel rationem dat dicti quotidie apud vos sedebam in templo docens & non me tenuistis, quasi diceret: quare non tenuerunt eum? ut adimplerentur scripturæ Prophetarum: Prophetæ enim omnes de ipsius morte scribentes prædixerunt, quod debuerit vendi, capi, ligari, tradi gentibus, illud, flagellari, coronari, & tandem crucifigi, & hoc postquam sensum Prophetarum de se & de mysteriis novi testamenti explicuisset in Synagogis & in templo aperte docuisset, se verum Messiam, missum à Deo Patre in mundum, quem Patres antiqui expectassent tanto cum desiderio, miraculis probasset veritatē, prædicasset per villas & castella, omnes de se figuras & Prophetias veteris testamenti pene impleisset, adhæc novum Testamentum instituisse, Sacerdotes novos creasse, qui offerrent Deo Patri sacrificium incruentum.

corporis & sanguinis sui in remissionem peccatorum, atque omnia hæc usque modo non erant impleta ideo nequaquam antea capere eum Iudæi valebant; nunc pene impletis valent.

**B**one Iesu omnia disponis semper suaviter ordine in pondere, sapientia & mensura. capi noluiti, donec omnia impleta essent de te quæ mortem tuam præcedere debebant. Da gratiam, mihi ut omnia mea ita disponam ante mortis meæ horam in ordine, pondere, sapientia, & mensura, ut gaudeam in illa hora tecum dicens: *Consummata sunt omnia bene iuxta voluntatem tuam, & tunc tecum, mi Salvator, ero paratus reddere spiritum meum in manus Dei patris creatoris mei.*

§. 8. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. v. 56.

Cum audissent discipuli quod huc usque eius passio dilata fuisset, quoad implerentur scripturæ, quodque ex iam impleta, essent circa se ideoque lubens traderet se Iudæis, viderentq; discipuli tam crudeliter modo vincitum & à canibus illis rabidis tam miserandum in modum abduci, vim defendentis Petri inhibitam &c. tunc discipuli timore perterriti dilectum Magistrum suum in fugam versi, reliquerunt, & sic ipsi quoque impleverunt suam partem scripturas.

Vere iam prophetia impleta est de qua Christus prædixerat percutere pastorem & dispergentur oves gregis. Zach. 2. Disce hic, ô homo, non præsumere de te ipso, quantum vis tibi firmus videaris, nisi enim tibi adsit Deus præsidio forti & auxilio suo magno statim animo concides. Quam solidus in fide videbatur sibi Petrus, qui tam serio asserebat, quod paratus esset cum Christo in carcere & mortem ire. Iacobus item & Ioannes qui calicem Domini bibere se posse dicebant, similiter & Thomas qui aliquando mori cum Christo ipse volebat & alios ad idem hortabatur: sed instante tentatione Christum reliquerunt & fugerunt omnes. unde verissime David psal. 29. ait. *Avertisti faciem tuam à me & factus sum consurbatus.*

**O** Magister benignissime ô dulcissime Pater, ô suavissime Domine qui nos tot diebus in deliciis nutris ac velut filios proprios sollicitè custodis, studiosè erigis, sapientia instruis, & velut cor tuum fidissime diligis. quoties etiam ego cum hisce fugitivis, (cheu!) à te recessi, & in dies recedo ad omnem occasionem! Tu tamen, pie Iesu idem es qui discipulos tuos constantes post hæc fecisti & confirmasti in bono missione spiritus Sancti tui. Emitte igitur super me etiam spiritum tuum & creabuntur omnia in me, & renovabis faciem cordis mei in vera fide, spe firma & charitate perfecta, ut amplius à te non recedam in æternum.